

Immunit. in Viterbien. 19 Februar. 1693, lib. 1 Decret. Vallem. pag. 172.

(13. Supradicta autem modo sunt corrigenda, et regulanda juxta novissimam dispositionem Bened. XIII Constitut. incip. *Ex quo*, § 3, ubi sic præcise statuit: « Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit ut publicis latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis au-

## GRATIA, UT EST DONUM DEI.

## SUMMARIUM.

1. Gratia generatim capta quid sit? — 2. Gratia per respectum ad finem ad quem datur; dividitur in Gratiam gratis datam, et in Gratiam gratum facientem; et quæ sit utraque? — 3. Gratia gratis data novem sunt species, et enumerantur. — 4. Gratia gratum faciens alia est habitualis, et alia actualis, et quæ sit utraque? — 5. Gratia habitualis sanctificans est duplex. Prima scilicet, et secunda, et quæ sit utraque? — 6. Gratia sanctificans actualis est triplex, scilicet excitans, seu præveniens, adjuvans, seu concomitans, subsequens, seu complens. — 7. Gratia excitans seu præveniens quid sit? — 8. Gratia adjuvans, seu concomitans quid sit? — 9. Gratia subsequens, seu complens quid sit? — 10. Gratia excitans dividitur in sufficientem et efficacem, et quæ sit utraque? — 11. Homini lapsus datur interior Gratia mere sufficientis, quæ defectu consensus liberi arbitrii frustratur effectu a Deo ultimate intento. — 12. Adducitur, et solvitur instantia. — 13. Adducitur et solvitur alia instantia. — 14. Adducitur, et solvitur

(1. Gratia est donum Dei gratis homini concessum ex meritis Christi, reddens hominem Deo gratum, vel capacem eliciendi opera ad finem ultimum supernaturalem conducentia; Est in re communis. (2. Gratia, per respectum ad finem ad quem datur, dividitur in Gratiam gratis datam, et in Gratiam gratum facientem. Gratia gratis data specificè sumpta est illa, quæ præsertim ad aliorum utilitatem et salutem procurandam homini a Deo conceditur; Est in re communis. Gratia gratum faciens est illa, quæ ad ipsius recipientis salutem, et Dei gratiam obtinendam primario conceditur. (3. Gratia gratis data novem sunt species, quas enumerat Apostolus I ad Corinth. xii, ibi: *Per spiritum alii datur sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanctorum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum.* (4. Gratia gratum faciens alia est habitualis, et alia actualis. Habitualis est qualitas supernaturalis inherens permanentem homini, ipsaque formaliter et intrinsece sanctificans reddendo ipsum Deo gratum. Gratia actualis est aliqua motio in nobis divinitus excitata, qua transeunter illustratur intellectus ad bonum et malum cognoscendum, vel pulsatur voluntas ad illud prosequendum, et istud fugiendum in ordine ad beatitudinem. Gratia habitualis sanctificans est duplex: Prima scilicet, et secunda. Prima Gratia dicitur, qua homo peccator primo justificatur, atque

tem inter doctores emerit controversia, an quis ex unico actu publicus latro, et Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur? Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes unicam tantum gratificationem in via publica aut vicinali admissionem sufficere ad hoc, ut quis publicus latro, et Grassator dici valeat, dummodo tamen grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus et declaramus. »

adhuc alia instantia. — 15. Gratia sufficiens datur omnibus. — 16. Homo potest cum gratia Divina, quæ nulli deest, omnia Dei præcepta observare. — 17. Facienti quod in se est ex viribus gratiæ Deus non denegat Gratiam. — 18. Nullatenus autem potest homo solis naturæ viribus Gratiam actualem etiam salutis initialem consequi. — 19. Gratia æqualis potest esse respectu unius sufficientis, et respectu alterius efficacis. — 20. Imo aliquando convertuntur, qui minorem habent Gratiam, et non convertuntur, qui habent majorem. — 21. Gratia in actu secundo redditur efficacis per cooperationem voluntatis humanæ elevatæ per Gratiam adjuvantem. — 22. Efficacitas Gratia potest spectari in actu primo et in actu secundo. — 23. Gratia Divina non necessitat voluntatem humanam ad bonum. — 24. Reliqua de Gratia, remissive. — 25. Subnectuntur duæ Appendices, in quarum prima agitur de vitio, atque eorum crimine agitur, qui Bajanismi et Jansenismi catholicas opiniones insimulant; in altera vero principales opiniones designantur, quæ notari erroris nequeunt.

ex inimico amicus Dei constituitur, inde dicta prima, quia nullam aliam gratiam habituale præsupponit, cum ipsa immediate sit expulsiva peccati mortalis, et talis gratia prima per se confertur per Sacramenta mortuorum, Baptismum scilicet, et Pœnitentiam. (5. Gratia secunda dicitur Gratia prioris augmentum, et omnis gratia sanctificans habitualis præsupponens in suscipiente primam, seu est illa, quæ confertur homini jam in Gratia constituto, indeque dicta secunda. Et talis Gratia secunda per se confertur per sacramenta vivorum, scilicet Confirmationem, Eucharistiam, Ordinem, Extremam Unionem et Matrimonium. Item talem gratiam secundam acquirimus meritorie per omnem actum meritorium, factum scilicet in statu Gratia.

(6. Gratia sanctificans actualis est triplex, scilicet excitans, seu præveniens, adjuvans, seu concomitans, subsequens, seu complens. Hæc Gratia divisio desumitur ex Scriptura Sacra; nam præveniens fit mentio Ps. xx: *Prævenisti cum in benedictionibus dulcedinis.* Concomitantis I ad Corinth. x: *Laboravi, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Et subsequentis Ps. xxii: *Misericordia tua subsequetur me.* Hujus triplicis Gratia meminit Concilium Trident. sess. 3, cap. 16, ubi sic dicit: « Ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera antecedit semper, et concomitatur, et subsequi-

tur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent. » (7. Gratia excitans, vel præveniens est supernaturalis motio animæ ad bonum aliquod volendum, vel malum fugiendum; dicitur enim *excitans*, quia excitat hominem velut dormientem; dicitur *præveniens*, quia voluntatem prævenit; dicitur *antecedens*, quia antecedit consensum nostrum. (8. Gratia concomitans, seu adjuvans est illa, per quam Deus cum volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur ad illud volendum, et exsequendum, ad quod prævie excitavit. Hocque colligitur ex S. Augustino lib. *de Gratia et Liber. Arbitr.*, cap. 13, ibi. « Ut velimus, inquit, sine nobis operatur, cum autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur. » Dicitur enim *concomitans*, quia concomitatur liberum voluntatis usum; dicitur *adjuvans*, quia hominem jam motum, aut excitatum adjuvat ad bonum opus actu perficiendum, vel malum evitandum; dicitur *cooperans*, quia actionem bonam, ad quam Deus prævie excitavit, nobiscum coëfficit. (9. Gratia subsequens, seu complens est illa, quæ liberum voluntatis consensum sequitur, corroborat et confirmat; de hac gratia loquitur S. Augustinus in *Enchirid.* cap. 32, ubi postquam de gratia præveniente dixisset: *Notentem prævenit, ut velit*, de subsequente subdit: *Volentem subsequitur, ne frustra velit.* Dicitur enim *subsequens*, quia subsequitur justificationem, et dat homini justificato, ut in sanctitate accepta confirmetur, ac perseveret; dicitur *complens*, quia corroborando hominem justificatum tribuit operi bono cepto ultimam perfectionem, et complementum, ne justus iterum fiat impius, et ne a tali bono opere cepto deficiat, et cadat; unde S. Fulgentius l. 1, ad Monimum cap. 11, de subsequente sic sumpta, sicuti et de præveniente, præclare ait: « Prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius... prævenit elisum, ut surgat; subsequitur elevatum, ne cadat. »

(10. Gratia excitans dividitur in sufficientem et efficacem. Gratia sufficientis specificè sumpta est illa, quæ licet præbeat vires sufficientes ad ponendum effectum, ad quem ultimate datur, non ponitur tamen defectu consensus ex parte hominis. Efficax vero est illa, quæ semper et infallibiliter infert effectum ultimate intentum, et cooperationem liberi arbitrii. Utriusque hujus Gratia meminit Scriptura: de Sufficiente II ad Corinth. xv, ibi: *Sufficit tibi gratia mea*: et ad Philipp. iv, ibi: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Efficacem commemorat Ezechiel. cap. 26, ibi: *Spiritum meum ponam in medio vestri, et faciam ut in præceptis meis ambuletis*; et Paulus ad Philippen. ii, ibi: *Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere.* (11. Homini lapsus datur interior Gratia mere sufficientis, quæ defectu consensus liberi arbitrii frustratur effectu a Deo ultimate intento. Est certissima apud Catholicos contra Pelagianos, qui Gratiam omnem rejecerunt, et contra Calvinum et Lutherum, qui omnem gratiam efficacem esse voluerunt, et ita efficacem, ut voluntas juxta Calvinum non nisi rapta et

necessitata operetur, imo juxta Lutherum, ut in actibus bonis mere passive se habeat nihil operando, et contra Baium et Jansenium, qui ultimus lib. 3, *de Gratia Christi* c. 3, dicit Gratiam sufficientem esse monstrum quoddam singularis gratiæ. Veritas nostræ conclusionis patet clare ex pluribus locis Scripturæ; Isaia enim v sic dicitur: *Habitatores Hierusalem, et viri Juda, judicate inter me et vineam meam, quid debui ultra facere vineæ meæ, et non feci? Expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas*; ubi, ut vides, populus habebat gratiam interiorem, qua bene operari poterat; illa autem gratia non erat efficacis, quia non habuit effectum, quoniam loco uvarum, fecit labruscas: ergo erat sufficientis, adeoque homini lapsus datur interior gratia mere sufficientis, cui resistitur; Matthæi xxiii sic habetur: *Hierusalem, quæ occidis Prophetas, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos; et noluisti*; Isaia lxxv et ad Romanos x sic dicitur: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem*; Proverb. i: *Vocavi et renuistis*; Actor. vii: *Vos semper Spiritui sancto resistitis*; II ad Corinth. vi: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; ex quibus aperte patet, dari gratiam sufficientem ad salutariter operandum, alias non posset juste Scriptura viam salutis negligentes increpare, et patet etiam, non omnem gratiam esse efficacem, nam inutiliter hortaretur Apostolus Corinthios, ne in vacuum gratiam Dei recipiant. Hinc merito Innocentius X in Constitut. incip. *Cum occasione*, damnavit ut hæreticam sequentem propositionem Jansenii secundam in ordine: « *Interiori Gratia in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, » et dicit. Innocentii Constitutionem una cum aliis confirmavit, et innovavit Clemens XI Constitut. incip. *Vineam Domini Sabaoth*; ex qua damnata propositio aperte constat, et sequitur, quod Gratia aliquando resistatur, si autem resistitur, non est efficacis, adeoque tantum sufficientis.

(12. Nec valet objicere illud Joan. vi ubi expresse dicitur: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, quod D. Augustinus lib. *de Prædestin. Sanctorum*, c. 8, intelligit de tractione efficaci, adeoque gratiam sufficientem non dare posse ire ad Deum, et consequenter esse superfluum. Non valet, inquam, quia supposito, quod fiat ibi mentio tractionis efficaci, distinguitur antecedens. *Nemo potest*, etc., absolute loquendo, negatur antecedens: omnis enim habens gratiam sufficientem potest absolute credere, et sequi Christum, cum nihil aliud requiratur ex parte Gratia. *Nemo potest*, etc., ex suppositione quod Deus viderit non venturum, conceditur antecedens, sed nihil inde contra nos.

(13. Item non valet objicere illud ad Romanos ix, ubi dicitur: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*, quod non posset dici, si daretur Gratia, cui homo posset consentire, vel dissentire, quia in tali casu esset etiam volentis. Non valet, inquam,



Catholicis Scholis, etiam post editam a nobis memoratam Constitutionem sub oculis nostris doceri atque defendi, illasque propterea minime per eam fuisse proscriptas. Verum supercecidit ignis contentiois, et non viderunt solem lucidissimæ veritatis (3). » Cum vero hæc satis non fuerint ad eos compescendos, qui partium studio incitati, atque superbæ spiritu ducti, proprias alienis opinionibus præponere, et de adversariis victoriam, ac veluti reportatum triumphum canere student, Clemens XII, die 2 Octobris, anno 1733, novam Constitutionem edidit, quæ incipit, *Apostolica providentiæ officio*, in qua celeberrimæ Constitutionis *Unigenitus* mentione præmissa, in hunc modum loquitur: « Nos paterna quoque sollicitudine inhærentes magnopere dolemus, tenebras a dissensionis filiis offusas nondum ex quorundam mentibus satis esse discussas, sed plerosque etiam nunc intolerabili pertinacia contendere, censuræ laudatæ Constitutionis doctrinam Sanctorum Augustini, et Thomæ de divinæ Gratiæ efficacia esse perstrictam. Ut igitur nullas charitatis partes ad revocandos errantes nobis reliquas faciamus, universis, et singulis Christi fidelibus, quacunque dignitate, etiam Episcopali, et majori fulgentibus, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus, et sub canonicis pœnis mandamus, ne disputantes, aut docentes, sive in Scholis, sive in concionibus, sive scriptis editis, sive aliter propositiones defendant, aut enuntient, quæ antedictas Novatorum calumnias firmare et promovere possint. Mentem tamen eorumdem Prædecessorum perspectam habentes, nolimus aut per nostras, aut per ipsorum laudes Thomisticæ Scholæ delatas, quas iterato nostro iudicio comprobamus et confirmamus, quidpiam esse detractum cæteris Catholicis Scholis diversa ab eadem in explicanda divinæ Gratiæ efficacia sententibus, quarum etiam erga hanc Sanctam Sedem præclara sunt merita, quominus sententias ea de re tueri pergant, quas hactenus palam, et libere ubique etiam in hujus Almæ Urbis luce docuerunt et propugnarunt. Quamobrem fel. record. Pauli V, et aliorum prædecessorum nostrorum ad restringendum dissensionum fomitem vestigia prosequentes, et saluberrima mandata renovantes, auctoritate quoque nostra omnibus et singulis superius expressis interdiximus, et prohibemus sub iisdem pœnis, ne vel scribendo, vel disputando, vel alia qualibet occasione notam, aut censuram ullam theologiam iisdem Scholis diversa sententibus inurere, aut eorum sententias conviciis, aut contumeliis inessere audeant, donec de iisdem controversiis hæc Sancta Sedes aliquid definiendum ac pronuntiandum censuerit. Pacem siquidem, quam cum veritate diligendam Dominus præcipit, inter Catholicæ Ecclesiæ filios fovere et communire debemus, et curamus, ut conjunctis diversarum licet Scholarum studiis firmiter sit

(3) Vide testimonium ex Clementis XI vita a Petro Pollidoro descripta allatum, tom. II, verb. Con-

adversus erroris insidias præsidium. » Accedunt etiam Litteræ in forma Brevis Benedicti XIII, ad universos Fratres Ordinis Prædicatorum adversus calumnias doctrinæ SS. Augustini et Thomæ intentatas, quarum initium est *Dimissas preces*. In iis itaque habetur: « Eos qui Constitutione *Unigenitus* damnatam Augustinianam, et Thomisticam doctrinam asseverant, Apostolicæ auctoritati detrudere » atque ita concluditur: « Magno igitur animo contemnite, dilecti Filii, calumnias intentatas sententiis vestris de Gratia præsertim per se, et ab intrinseco efficaci, ac de gratuita Prædestinatione ad gloriam sine ulla prævisione meritorum, quas laudabiliter hactenus docuistis, et quas ab ipsis Sanctis Doctoribus Augustino, et Thomæ se hausisse, et Verbo Dei, summorumque Pontificum et Conciliorum decretis, et Patrum dictis consonas esse commendabili studio Schola vestra gloriatur. Cum igitur bonis et rectis corde satis constet ipsique calumniatores, nisi dolum sequi velint, satis perspiciant, SS. Augustini, et Thomæ inconcussa, tutissimaque dogmata nullis prorsus antedictæ Constitutionis censuris esse perstricta: ne quis in posterum eo nomine calumnias struere et dissensiones tenere audeat, sub canonicis pœnis districte inhibemus. Pergite porro Doctoris vestri opera sole clariora sine ullo prorsus errore conscripta, quibus Ecclesiam Christi mira eruditione clarificavit, inoffenso pede decurrere ac per certissimam illam Christianæ doctrinæ regulam sacrosanctæ Religionis veritatem, incorruptæque disciplinæ sanetitatem tueri ac vindicare, » etc.

En Apostolicæ Sedis decreta, præcepta, ac latas in contemptores pœnas. At quæ sub præcepto, et in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub canonicis pœnis vetita sunt, ea gravem præ se obligationem ferre, nemo ignorat. Ita vero Apostolica Sedes vetat Jansenismi notare opiniones, quæ in Scholis a Thomistis et Augustinianis traduntur, quæ palam Romæ sub Pontificis oculis docentur, et propugnantur, et quæ ab auctoribus Catholicis proponuntur, dummodo per legitimam causam probatum non sit, sensum illas involvere damnatorum errorum. Quis ergo non videt, peccare eos, qui invidiosus hujusmodi nominibus viros catholicos traducunt, ac publicos etiam esse Apostolicæ Sedis contemptores?

At convicia et calumniæ hujusmodi non solum inobedientiæ et contemptus Apostolicæ Sedis reatum habent, sed injuriam maximam secum ferunt, ac alia quamplurima quæ peccatum augeant. Nam crimen hæreseos maximum est, ac maximam secum fert infamiam. Ergo gravissima viro præsertim Ecclesiastico, vel Regularium Ordini injuria fit, dum hæreticus prædicatur, et gravissimum peccatum hujusmodi convicium est. Accedit præterea odium, quod inde sequitur, et publicæ inter Ecclesiasticos viros inimicitæ atque lites; quæ res *Postitutio Unigenitus*, num. 2. (EDIT. BARBIELL.)

pulo Christiano sunt maximo scandalo, atque hæreticis occasione præbent contemnendi Ecclesiam Catholicam, fidemque Orthodoxam. Quænam vero etiam apud benigniores Theologos doctrina est, quæ a gravissima culpa mala hæc valeat excusare? Non solum enim charitas in re gravissima, sed etiam justitiæ manifeste læditur, ut ex iis, quæ de Charitate, et Justitiâ disputata sunt, manifestum est.

Dicet vero aliquis, non posse opiniones illas censura notari, sed fas esse Theologo, qui in opposita sententia versetur, Thomisticas vel Augustinianas opiniones ita confutare, ut ex earum opinione Bajanismum, vel Jansenismum consequi argumentetur. Ut enim cuique licet omni argumentorum genere contrarias opiniones refellere, ac proprias tueri, ita etiam licitum cuique erit ob absurda, quæ inde sequerentur, opiniones illas rejicere, quia veris illis constitutis, veras quoque astruere oporteret Baii, Jansenii, Quesnellique theses.

Non nego, licite id fieri posse, imo et quandoque hujusmodi oppositiones plurimum conferre censeo ad exponendum Catholicum dogma, et ad aperiendum explicandumque discrimen, quod inter damnatas ab Ecclesia propositiones, et Catholicorum opiniones intercedit. Quamobrem si servatis Charitatis legibus, ac eo tantum animo hujusmodi argumenta urgeantur, ut veritas magis magisque clarescat, et ut certi inter damnatam doctrinam, atque orthodoxas opiniones limites detegantur, laude digni Theologi haberentur. Sed si fallaces illas ratiocinationes, quas adhibent, tanti faciant, ut certos se esse jactent, opiniones illas, Baianas, Jansenianasque esse, atque ita prædicent, tum peccant revera contra Apostolicæ Sedis præceptum, et apostolicam Sedem contemnunt cum pluris faciant privatam eorum opinionem, quam illius iudicium et mandatum: peccant etiam contra charitatem et justitiam, quia lædunt quam maxime famam proximi sui, illumque ad odium et dissidia talia provocant, ut maxima inde in Christiano populo scandala sequantur; ac demum Catholicæ Religionis plurimum obsunt, tum ob honorem, quem præbent damnatis sectis dum cum iisdem Theologos nostros sentire prædicant, tum ob derisionem, cui apud illas sectas exponunt iudicium Ecclesiæ, quod veluti iniquum traducitur, quasi in illis damnasset, quod in aliis tolerat, ac aperte permittit; tum denique quia ita difficiliorem faciunt errantium conversionem. Hæc vero tanti mihi momenti semper visa sunt, ut non modo convicia hæc, sed etiam hujusmodi argumentandi rationem horruerim. Neque enim facile fieri posse censeo ut ita argumentando scandalum apud simpliciores præcaveri possit, et ut animus, in eo, qui ita agit, desit in opinionem contrariam, illiusque assertores invidiam conciliandi. Accedit etiam argumenta hujusmodi mera esse sophismata, posita jam definitione Ecclesiæ, quæ decrevit opiniones illas a damnatis

erroribus esse omnino diversas. Equis enim ignoret, in re Theologica purum putumque sophisma esse ratiocinium illud, quo probari quid jam contenditur, quod iudicio Ecclesiæ adversetur? Quis ergo dicat non perverse agere, qui usu sophismatum violant charitatem, scandala creant, et ad minus periculo se se exponunt lædendi in re gravissima famam proximi, et contemnendi Ecclesiam?

Denique muneri desunt suo scholastici illi qui hujusmodi ratiocinandi rationem adhibent. Nam Scholasticæ Theologiæ institutum, ac Theologi officium est explicare orthodoxa dogmata, Novatorum adversus ea sophismata solvere, ac discrimen ostendere, quod inter proscriptos errores et catholicorum opiniones intercedit. Hæc enim unice de causa Theologia Scholastica utilis dici potest; quodnam enim aliud est bonum, quod ejus usu Religionis atque Ecclesiæ afferri possit? Nunquid ingenii ostentatio, gloriosa apud homines, aut seria occupatio, quæ otium excludat? At priora duo Ecclesiæ malum potius quam bonum afferunt, tertium vero inutile prorsus est, nisi ex occupatione illa quidpiam erui valeat, quod Religionis prosit. Age vero, qui tanto conatu student Thomisticas, vel Augustinianas, aut aliorum Catholicorum hominum opiniones Jansenianas ostendere, an non potius confundere orthodoxas opiniones cum erroribus videntur, quam discrimen detegere, et explicare? An non favent potius, quam noceant errori proscripto, dum illum cum Catholicis hominis opinione confundendo, occasionem Novatoribus præbent sub velo orthodoxæ opinionis tegendi errores ac hæreses? Ubi tunc est bonum, quod Ecclesiæ affert Theologia Scholastica? Nam ita potius errori quam veritati catholicæ præsidio est. Nec dici potest, obscuram hæc in re materiam esse; etenim Ecclesiæ definitio, quæ Scholarum opinionum immunes ab errore declarat, perspicua est. Theologi Thomistæ et Augustiniani perspicue explicant discrimen inter proprias, et damnatas sententias, atque id egregie quoque tuerentur. Ut ii ergo id faciunt, cur conjunctis viribus adversus errorum insidias ex horum etiam principiis agere Theologi reliqui non poterunt? Ita sane prudentiores omnes faciunt, dum contra Semipelagianos disputando, eos constituta quoque *scientia media* confutant, etsi hæc hujus aliquando erroris insimulata fuerit. Quare ergo Thomistica, vel Augustiniana, aut quacunque alia constituta hypothesi refellendi non erunt Lutherani Jansenianique? Hæc via Catholicorum honori, Ecclesiæque bono consulitur, et conjunctis viribus ut Apostolica Sedes jubet, hæreses impugnantur. Hæc quantum ad Monitum: quoad explicationem Catholicarum opinionum, earumque a Janseniano errore discrimen, vide sequentem Appendicem.

ADDITIONES EX ADDITIONE BARBIELLINIANA.

Ad ea quæ affert auctor sub num. 29 per-